



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Mariani Societatis Iesv**

**Nádasi, János**

**Romæ, 1658**

Anno MDXCIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42840**

ab eleganti paruulo fuisset prohibitus qui ex oculis euauit. Iterum id cogitantem, reuocauit Deipara, fecitque ut Talabricam accederet ad nostrum Sacerdotem, atque ex eius consilijs acciperet constantem quietem, & perfectam animi sanitatem.

## ANNO MDXCIII.

973 Quidam, ut annuæ Brunenses narrant, de suscipiendo sacrae vitæ instituto (vnâ exceptâ Societate, à qua mirum in modum abhorrebat) secum, deliberans, in grauem mœrorem incidit. Is cum angore animi vrgeretur, visus est sibi per quietem à B. Virgine admoneri, ut si mœrore illo liberari vellet, ad Christum (qui oppressus ærumnis adesse videbatur) confugeret. Christum ergo afflictum, ac iacentem adolescens subleuare cum niteretur, eius vocem sibi audire visus est, dicentis: *Confide fili, quoniam me subleuasti; ipse vicissim à me subleuaberis.* Quâ ille voce permotus, incredibili cupiditate Societatis exarsit. Hæcibi.

*Afflicti.**In mœrore, illam consulere.*

974 P. Emmanuel Fernandez octauo ante mortem die diem suum extremum prædixit. Morientem visitauit, & solata est (ut ferunt) Virgo Mater: id quod ille ipsâ suæ mortis horâ Francisco Lopez Coadiutori disertè dixit.

*obijt 25.  
Dec 1593  
Fremonæ.  
Mors.*

## ANNO MDXCIV.

975 Hoc anno nonis Nouembribus euocatus est ex hac vita P. Franciscus de Petris, qui paucis ante obitum diebus, inquit Trigautius, fratrem è nostris adiutoribus ad constantiam in religione retinendam adhortatus, aiebat se vocem DEI Matris ad se loquentis audire visum, cuius hæc fuerint verba: *Ingrederere agedum Filij mei Societatem, & in ea vocatione perseuera.*

*Expedit.  
Sinica l. 3  
c. 8. pag.  
280.**Vocatio.*